

Theses anatomico-chirurgicae, de varis et valgis.

Contributors

Lafond, Pierre.
André, Jean-Baptiste.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Paris] : Typis Michaelis Lambert, 1784.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/h68e64p7>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

26.

ILLUSTRI, SPECTATISSIMOQUE VIRO
D.D. JOANNI-BAPTISTÆ LOUSTAUNAU,
REGI A SANCTIORIBUS CONSILIIS,
PRIMO REGIÆ PROSAPIÆ
PRIMARIOQUE REGIS DESIGNATO CHIRURGO
NECNON ACADEMIÆ REGIÆ CHIRURGIÆ VICE PRÆSIDI PERPETUO.
HAS LABORUM SUORUM PRIMITIAS,
AD MAGISTERII LAUREAM ACCEDENS
VOVET, DICAT ET CONSECRAT,
OBSEQUENTISSIMUS P. LAFOND,
REGII CHIRURGIÆ COLLEGII CANDIDATUS.

ERISTALIS TECTA SEMIOPHEMEROPTERA
LARVULUM AGRICULTORUM D.C.
CONSERVATUR A RUMI
PRIMO RECICE TRADIDIT
PRIMUM QD. EGO DISCENDO CHIRURGO
SINTIMUS VLOM MUSONIUS
AD MAMILLARI ET VULVARI NOCEDIMUS
TALIBUS DEVIT ET CONPENSAT
OZARO UNTI SISIUS TATONI
HOC CHIRURGIA COLITIO CAVENDIVITUR



T H E S S
ANATOMICO-CHIRURGICÆ ,
D E V A R I S E T V A L G I S.

QUONAM fato fieri dicam ut corpus humanum præstantissimum sanè Creatoris opus innumeris scateat imperfectio nibus quas partim fideles comites affert natura , partim ingenerant varia accidentia quibus tota hominum vita patet obnoxia. Verùm ex omnibus corporis humani pravitatibus quæ ipsius præstantiam imminuunt , nulla nobis majoris visa est momenti , quām ea de quâ nunc agitur , tūm quia media ad illius curationem hūc usque adhibita invalidiora , ne dicam inutilia , judicamus , tūm quia ipse morbus , ferè insanabilis , à Magistris , in arte peritis , existimatur.

A ij

Hinc nil mirum si, nostris temporibus, pravitatis de quâ agitur; curationi non peculiarem immò ferè nullam operam navaverint in arte præcipui (quamvis de ipsomet morbi genere egregiè veteres scripserint) (1). Adeò scilicet invaluerat insita jam antè mentibus opinio quæ insanabilem hancce pravitatem judicaverat, ut ne ipsius quidem curationem malè timidi tentaverint, ne plus damni quâ levaminis ægrotos afferrent. Si quis tamen attentè consideret varos valgosque ad summum pravitatis gradum lento successu pervenire, tuncque nullam spem curationis afulgere, non dubitabit profectò idem in nostrâ arte tentandum esse quod in cæteris artibus experti sunt virtù quidam nobiles qui, neglectâ communi viâ novum sibi iter ausi sunt aperire, & eximia suæ artis prodigia nobis reliquerunt.

Quâ multi enim cives sibi & patriæ inutiles remanerent, nisi amicam Chirurgi manum præstò haberent, quæ partium quasi inutilium usum restitueret.

Sed antequâ de praxi differamus, quædam de integro pede, ipsoque vitiatu anatomica dicere operæ pretium erit.

E X A N A T O M I A.

Ginglymo angulari convenit cruris cum pede articulus. Tibiâ intùs fibulâque extùs formatum crus, in imâ parte profundam constituit cavitatem quæ levi expressione dividitur, cuique prominet uterque malleolus, & internus & externus.

In illâ cavitate excipitur astragalis pars superior, quadrilatera

(1) Hippocrates.

Galenus.

Paræus.

Manetus.

Fabricius Hildanus.

Heister.

5

nempe ipsius prominentia in duplicem condylum tibi depres-
sione divisa, quam ex utrâque parte complectuntur malleoli.

Hæc omnia, cartilagine induta, articulari includuntur capsulâ
quæ hinc ad partem cruris inferiorem, illinc ad astragalis cir-
cuitum inhæret. Capsula ipsamet, laterali intus firmatur ligami-
ne quod à malleolo interno ad idem astragalis calcaneique latus
adhærescit; extus verò laterali ligamento quod à parte inferiori
fibulæ ad astragal calcaneumque, ex adverso, fixum reperitur.

Stabiliorem quoque hunc articulum præstant à parte anteriori;
pro tendinum respectu; tibialis anterior, extensor pollicis, ex-
tens. communis brevisque peronæus anter. à posteriori tendo
achillæus, flexor communis digitorum, flex. pollicis, tibialis
que poster. extus denique longi mediique peronæorum tendines
observantur. Ipsimet etiam articulo adhærent nervi cutanei ante-
riores, nervus tibialis anter. vasaque ipsorum socia; retrò tan-
dem nervi cutanei posteriores, nervus tibial. poster. & vasa quæ
eodem nomine donantur.

Solos flexionis & extensionis motus permittit cruris cum pede
articulus. Flexioni inserviunt tibialis anterior brevisque pero-
næus, necnon in quibusdam casibus extensor longus digitorum:
extensionis motus, gemellorum, solearis tibialiumque vel gra-
ciliis, vel posterioris, utriusque peronæi lateralis & longi qui-
dem flexoris digitorum ope & contractione, liberrimè in statu
naturali excentur.

Sed non ita est de statu Pathologico. Siquidem, in valgis, in-
teriori pedis margine deorsum obversâ, malleolus internus in
canalem astragali impressum vergit, externus verò in calca-
neum; cutis & capsula quæ ad internum articuli latus attinent;
laterale ligamen, tibialium vel anterioris, vel posterioris com-
munisque digitorum extensoris tendines, necnon vasa nervique
ad plantam tendentes elongantur; dum à latere externo, cutis

& capsula, ligamentum laterale relaxantur; peronaeique tandem musculi necessariò contrahuntur, in varis è contrà ex adverso obvertuntur pedis externa pars, & malleolus; idcirco, quæ in illâ pravitate extenduntur partes, in istâ remissæ videntur; & vice versâ.

E C H I R U R G I A.

Vari, Græcis, *παιεῖαι*, dicuntur illi qui pedes introrsum habent obtortos. Valgi è contrà, Græcè, *βλαστοίς* vocantur hi quibus extrinsecus obtorti pedes prominent (1). Utroque vitio, non pedes tantum sed & genua cruraque persæpè obliquantur (2).

Pueri & qui conterminæ sunt ætatis, hanc peculiariter affectionem incurunt: attamen & ætate grandioribus id morbi genus quandoque accidit.

Discrimen, in ipso morbo, à majori minorive pravitate, causis & vetustate desumitur (3).

(1) Vari, latinis dicuntur quibus pedes cruraque intrò inflexa & obtorta sunt. Quibus contrà extrorsum pedes cruraque spectant & intorquentur, valgi nominantur.

Id vitium conformatioñis, vel jam indè ab utero est, culpâ mattis quæ vel eodem illo intrò conversorum crurum vitio tenetur, vel per graviditatis omne ferè tempus desedit cruribus decussatis: aut post editum in lucem fœtum contingit, quòd ejus pedes vel crura vitiosè fasciis obvoluta in cunis fuerint vel compressa, & depravato situ inter gestandum aut ambulandi conatum, à nutrice collocata. *Vid. Mangetum, Bibl. Chirurg. de Luxation. libr. xi.*

(2) Idem sentit Heister, nam in quibusdam infantibus; vel ab utero materno, vel & posteā demùm paulatim indecenter curvi pedes fiunt, si justò maturius stare atque inambulate iidem à parentibus aut nutricibus coguntur, aut aliàs imprudenter ab iis tractantur. In aliquibus, ipsæ tibiæ curvæ sunt, in aliis genua distorta; in alijs pedes in articulo tibiæ cum tarso, iisque vel introrsum, qui vari, vel extrorsum versùs detorti existunt, qui valgi appellantur. (*Vid. Institut. Chirurg. p. 1106.*)

(3) Constat autem omnes homines qui naturaliter valgi sunt, deteriorius

Utriusque pravitatis agnoscuntur duplicitis generis causæ , internæ scilicet & externæ. Causæ internæ judicantur ligamentorum laxitas (1), muscularum debilitas vel paralysis ; « nonnullis etiam proprii languores , (vid. Manget) scilicet » iis qui arthritidem aut podagram expertis sunt nati , » sed præsertim rachytidæa lues , &c. » Externæ verò habentur , ictus , lapsus , conatus extensionesque violentæ , cæcæ contusiones , fracturæ , ulcera , tophus , abscessus , cujusque tandem generis fluxiones.

Visu facile dignoscuntur vari valgique , si ad definitionem allatam attendatur.

Prognosis , ab essentiâ , causis & vetustate deduci potest : siquidem in pravitate majori reducendâ major renixus , quâm in minori occurrit ; gravior habendus est ipse morbus , si ab internâ causâ , diuturnior denique pro exitu , si à longo tempore invaserit (2).

stare , quâm vari , neque posse celeriter currere , tûm parvo momento ac levi de causâ cadere. (*Vid. Galen. in libr. Hippocr. tom. 7. p. 283.*) Crux etiam universum his gracilius , propter motus difficultatem , redditur.

Ad hos occurserunt & alii licet rariores , qui altero quidem valgo crute , altero varo , longè difficillimo incessu ducunt ilia.

(1) Si , quæ articulo pedis cum crure inserviunt ligamenta , tali debilitate , quæcumque sit causa , afficiantur ut recto incessui noceant : tûm ad alterum latus , vel interius , vel exterius ; pes confluetur , quâ major est debilitas ; attamen omnibus aliundè compensatis , internum ad latus in hocce casu sèpius tendere progressum nobis videtur.

(2) Affectus hic puerorum valgorum interdùm ope naturæ solvitur , interdùm non item , sed auxilium quoque artis implorat ; solvitur , inquam , ubi vigor accedens ætati , morbo qui præoccupaverat , sit superior. (*Vid. Mang. loco jam citat.*) Plerique sanabiles sunt , nisi itâ magnus excessus sit , aut pueris jam adultioribus res incidat. (*Hipp.*).

Idcirco , ait Galenus , commodissimum his est celerissime subvenire , ante-

In varis & in valgis ad sanationem requiruntur, quantum fieri possunt, restitutio cujusque partis in situm naturalem, retentioque in situ per machinas accommodato, sic ut varis ossa foras adeo propellat, quasi valgos, valgis contra introrsum, quasi varos reddere vellet Chirurgus (1): quae quidem conditio-nes obtineri nequeunt, nisi, uno & eodem tempore, amoveantur causae internae, si occurrant.

Quapropter, si consideretur, ut jam diximus, sensim sine sensu ingravescere ipsam pravitatem seu subluxationem, quod quidem unum & idem est; ex naturae praescripto finem sibi propositum summam cum laude, adimplere nobis videtur Chirurgus, qui conatibus minus quam fiduciae confidens, (& haec certe in taxi qualibet admittuntur) vitioque ipsomet reducendo, idem quo formatum est temporis spatium impendens, praeципuum ad artis principium undequaque se accommodat. Quænam igitur anteponenda curationis norma? Nullo facilitiori modo quæstio-nem illam solvemus, quam si anteà veterum paucis recenseamus

quam & pedis ossium & carnis in crure, magna admodum defectio sequatur.
(*Vid. Galen. in Hipp. de articul. comm. 4.*).

Admonendi autem sunt parentes non illico & unius anni spatio absolvi posse curationem, sed longum tempus requirere, praesertim si affectus inveteretur. (*Vid. Fabr. hist. Centur. VI. obs. 89, 90.*).

(Idem, in alio loco) longum tempus summamque diligentiam hujusmodi curationes requirunt: vi enim nihil efficitur, sed est naturae opus, quæ deformitatem illam corrigit, si ars & industria accesserint.

(1) (Unde sic legere est in Galeno de Hippocr. in libr. de off. Med. com-mem. 3.) Sed paulo ultræ naturalem statum partem adducendam esse cen-suit: atque hoc est quod ait Hippocrates, (idque paulo plus æquo) nam quod naturale est, æquum est. Et ex alio loco deducitur, ut varus in valgum convertatur, scilicet ultræ sedem prouersus naturalem: & vice versa.

curationem;

curationem : & ab ipsâmet cum nostrâ methodo comparatâ , quid sit potius agendum , consequenter deducatur.

Hippocratem ut primùm consulamus : ibique ipsius curationem in calceis molibus aut ex pelle non multum durâ , aut ex plumbo formatis , omnino versari notum erit (1). Quomodo autem sanationem afferre potest illa methodus , quæ ad partes reductas continendum , magis quam ad strictè retinendum accommodata , miseram ideo varos valgosque in situ eodem per longum tempus detinendi , necessitatem imponit ? Quæ & quanta inde malorum series oriatur , nemo non sentit.

Notandum est etiam in ipsâ methodo , ut confirmetur sanatio de quâ meritò nobis dubium est , temporis spatium usque ad perfectam distortæ cujusque partis accretionem prolatum requiri.

Si modò Maneti de Paræo commentaria pervolvamus , eadem ac in priùs citato auctore , reperitur curationis summa ; ut constat ex ipso loco , (*art. de luxation.*) « parantur ma-
» chinæ vel ocreæ è corio elixo sub plantâ pedis fissæ , &c.
» Ibidem etiam emplastra persæpè præcipiuntur , denique sic
» se habet ipsius Paræi ex propriis dictis , sententia ; » Ne faut faire
» cheminer les vares & valges , que premièrement les jointures
» ne soient bien affermies , de peur qu'ils ne se déboitent de
» rechef ; & lorsqu'on voudra les faire marcher , on leur bail-
» lera des souliers assez hauts , & de cuir assez solide pour tenir
» les os fermes sur leurs jointures , & qu'ils soient contraints d'y
» demeurer ».

Eadem igitur nunc admittantur objecta , siquidem incommoda eadem occurruunt : atque & si majoris firmitatis ratione , plus valeret hæc ultima methodus , nihilominus ob eam causam de quâ modò dicemus , à nobis rejiceretur.

(1) Alias ejusdem generis soleas prædicat Hippocrates , ubi adsunt hæc verba , (ad eam formam quam Chiæ crepidæ habebant).

Ultrà verò progreditur Fabric. Hild. nam præmissâ de emollientium usu quem auctores plerique suadent, sententiâ. Lecti usum ægris usque dùm apponantur machinæ vel instrumenta ferrea præcipit (1).

In machinis igitur plus minùsve fixis, ideòque pro curâ morbi & exitu difficillimis hùc usque versatur, ut patet, curatio.

Hanc assertionem præclarè demonstrant varia de *Heister* loca in quibus dicitur; « Si jam tûm vitium illud increvit, vel » etiam ex utero materno est, necessarium utique erit, præ- » misso, si opus, emollientium usu, certis machinamentis, & » cumprimis idoneis ocreis, è corio firmiori, ligno, ferrive » tenuioris laminis, ad magnitudinem pedum vitiatorum pa- » ratis, quâm exactissimè pedes incurvos, cumprimis varos & » valgos, comprehendere, itaque disponere, ut, dùm ipsi » naturaliter increscant, sensim sensimque figuram decentem » recipiant, eæque dies noctesque circâ pedes gerendæ. (*Id.*) De- » nique si non nisi mediocriter vitiati sunt pedes, liberè & » apertè dicam: salutariùs sæpe esse deprehendi, absque con- » strictione per ocreas & machinas præsertim rigidiores infantes » relinquere, quâm per adhibitæ eas graviter illos afficere & » quandoque nimis arctâ constrictione, magis adhuc lædere » pedumque incrementum impedire (*pag. jam citatâ*) ». Quid inde meritò concludi potest, nisi, quod sanè certiorem simplicioremque viam, quæ sibi nota fuisset, veteres consecras- sent, mobiles admittendo machinas quæ vim inflexibilem, ut modò constabit, longè exsuperant.

Fixas potentias, pro materia respectu, appellare est, corpora quæ inflexibili modo deformatas partes premendo, ipsas redu-

(1) Per integrum annum applicandum est instrumentum quod quidem per aliquot annos apposui, &c.

Idem. in alio loco, necesse est ut pueri instrumentum dies noctesque ge- stent. (*Centur. jam citat.*

cunt & in situ nativo retinent : ità ut , molesti istarum compressus ratione pars quæque obtorta in adversum inflectatur. In ipsis potentis tres distinguntur partes quarum priores duræ & inflexibles videntur : aliæ , varia sunt ligamina quorum ope priores ad membra applicantur : alteræ tandem habentur pulvini, ut affrictus minuantur , adhibiti.

Potentia verò mobilis elasticave nuncupatur corpus quod naturalis repercussus causâ , variis motibus obsequens , certo similius modo partes obtortas reprimit.

Ut in fixis , sic in mobilibus potentis tres adhibentur partes , è quibus præcipua censetur , lamen ferreum incurvatum & elasticum. Dein adsunt ambo solùm ligamina quæ applicando laminis inserviunt : varia denique habentur adjuncta quæ cæteris fulcrum præbent & frictioni cuilibet , quamvis levissimæ obstare queunt.

Id habent mobiles potentiae ut partes distortæ in situm naturalem reducantur , in illoque statu retineantur : ità ut ab ipsis tutiori modo , breviori , facilitiore tandem , quām à fixis potentis , objectum illud adimpleatur ; nullus quoque inde lapsus iterum metuendus sit : quod paucis (si priùs inter se comparetur utraque methodus) lucidè constabit.

1º. Quidem certò similius modo partes in varis valgisque obtortas reprimunt elasticæ mobilesve potentiae.

Fixæ autem solo muscularum contractionis tempore hunc effectum producunt.

2º. In illis (juxta unciam) pressionis gradus æstimatur : ideòque sensim sine sensu in situm naturalem partes reduci queunt.

In ipsis nulla tanti commodi occurunt beneficia.

3º. Variis motibus , suæ elasticitatis causâ , obsequuntur priores machinæ , quæ mollem quoque repulsum præbendo , à concusso & suggillatione partes undequaque tutantur.

Motui verò , pro majori firmitate minorique inde repulsu ,

obstant fixæ machinæ , à quibus etiam molesti semper oriuntur concussus , necnon vel acerba persæpe , vel nullius ad sanationem punderis , compressio .

4º. Pueris ludendi avidis copiam facit alia potentia : ideoque necessariò ut debilia ipsorum corroborentur membra , exercitio favet .

Dùm è contrà per longum tempus , in situ molesto pueros frustrà detinente alterâ methodo , corpus elanguescit .

5º. Denique , distortum in varis & in valgis articulum non modò reducunt in statuque retinent mobiles potentiae , sed etiam ipsiusmet ad distortionem propensioni obstant : si quidem earum ope ultrò ex adverso pes inflectatur , adeò ut meritò confirmari possit sanatio , quamquam non inde sequatur producendam esse machinæ applicationem usquedùm partes omnino increverint .

A quo longè absunt fixæ potentiae .

Quantum inter se fixæ mobilesque machinæ differant , quantum rejiciendis prioribus istæ prævaleant , nemini sanè , ut nobis videtur , dubium est (1). Præterea de ipsis probandis , præsenti sermone , brevitatis causâ pro viribus differere conabimur .

Tria , ut nostræ methodi ope sanetur jam exposita pravitas , tempora admittuntur , primum tempus , partibus in situ naturalem reducendis impenditur ; pro naturâ morbi variisque circumstantiis ejus spatum plus minusve producitur .

Sequenti tempore , reductæ partes , ex adverso inflectuntur ; certius assignari potest ille terminus .

Ultimum , à quo primùm laxatæ distensæque partes in sese posteà certo similique modo contrahuntur , à nobis dicetur coadunationis tempus , cuius etiam diuturnitas aliquando discrepat .

(1) Quantum expertiss. D. Tiphaine commendaverit ista curatio omnibus notum est .

Attamen, ex observatis, ab octodecim mensibus ad duos annos, ut plurimum, prolata censetur curatio.

Ut autem prosperè succedat iste curandi modus, à Chirurgo, præter sedulam, sub utroque respectu, partis obtortæ cognitionem, peculiaris requiritur solertia vel in applicandis machinis, vel in æstimando ipsarum gradu ad varios casus accommodato, ita ut inter se congruant, & hæc obiter diximus.

HAS THESES, Deo juvante & præside M. JOANNE-BAPTISTA ANDRÉ, Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro, tueri conabitur PETRUS LAFOND, Divionæus, præclaræ Artium Facultatis in Almâ Universitate Parisiensi Magister, Theseos Auctor.

*Die Sabbati 11^a. mensis Decembris anno R. S. H. 1784,
à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam,*

P A R I S I I S ,

**IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS
PRO ACTU PUBLICO,**

E T
MAGISTERII LAUREA.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ
Collegii, necnon Academiæ Typographi, viâ Cythareâ.

M. D C C X L X X X I V .

